





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-3789-p0002-3

DFG

QR. 524, 5b.

B. m. II,

ΠC
916

PLINIUM JUNIOREM RHETOREM,

Consensu

Inclutæ Facultatis Philosophicæ,

In

ACADEMIA LIPSIENSIS

sistit

A. M. DC. XC VIII. d. VI. Aprilis

PRÆSES,

M. ABRAHAMUS Råschfe/
THORUNIENSIS, FIL.

RESPONDENTE,

HENRICO Rausch/SilberbergåSilesio,
S.S. Theol. Stud.

LIPSIAE,

Typis IMMANUELIS TITIL.



*ILLUSTRIBUS,
MAGNIFICIS, MAXIME - STRENUIS, CONSULTIS-
SIMISQUE, DOMINIS,
DN. BURGRAVIO REGIO,
DN. PRÆSIDI,
Cæterisque
DNN. PRÆCONSULIBUS
& CONSULIBUS,*

Nec non

*AMPLISSLIMIS, CONSULTISSIMIS atq;
SPECTABILIBUS,*

*DNN. PROTO-SCABINIS
& SCABINIS,*

Inclutæ Reipublicæ Thoruniensis, Patriæ Patribus,

Dominis & Patronis meis maximis,

*Quo Observantiae meæ in Patriam, inquâ Venerandus Parens, M.
Abrahamus Jäschke/ Thoruniensis, quondam Gymnasii Patrii Collega,
Exul me genuit, Monumentum publicum extaret,*

Hanc imprimis Exercitationem Academicam

humillime offerre debui ,

M. ABRAHAMUS Jäschke.



Atatem suam Tacitus * ut suorum incuriosam notat. Non hoc ipso nostram notare possumus, quæ præsentia saltem curat, antiquorum fere incuriosa. Spernere enim incipit, quicquid antiquum est, Seculum hoc Novitatis avidum; quod ipsum Barbariem jamjam imminentem, ex Doctissimum Virorum Judicio, ostendit. Non equidem diffiteor, varias Eruditionis Partes, hoc ipso Seculo Augmenta sumsisse maxima; verum forte hæc jam olim magnam Partem inventa fuerunt. Inuria Temporum non pauca certe amisimus. Imo, quædam ut nova vendit hæc nostra Ætas, quæ in Antiquorum Scriptis vel integra legimus, vel earundem Rerum Vestigia tamen observamus. Eloquentiam hic adduco, quam præsens Seculum non sine Laude excoluit. Enim vero, quisquis saltem Eloquentiam illorum Seculorum, quæ bonas Artes in exilium egerant, cum nostrâ componit, quid Lupinis æra distent, facillime deprehendet. Redit nunc, Artis hujus nobilissimæ, Splendor antiquus, quem etiam novis Artificiis exornarunt Viri ingeniosiores. Sed pauca illa sunt, cum elegantissima jam in Veteribus Scriptis deprehendamus Monita. Nunc saltem Plinium Juniorem, Oratorem sui Temporis, si non maximum, tamen inter maximos non ultimum, nomino. Ex hujus, quas habemus, Epistolis, Consilia Oratoria collegi, quæ, quod dixi, illustrabunt satis. Imo in hac Sententiâ sum, horum Lectionem multorum Odium, quo Rhetores antiquos prosequuntur, lenire posse. In Tabella itaque hæc Consilia Doctorum Censuræ subjicio, atque Plinium Juniorem ut Rhetorem nunc sisto. Hic Ordinem illum, quem ipse, velut aliud agens, tradit, quantum per Naturæ Ordinem licebit, observabo. Habet hunc lib. III. Ep. XIII. ubi Verba Plinii sic fluunt: **INVENIRE** præclare, **ENUNCIARE** magnifice, interdum etiam Barbari solent. **DISPONERE** apte, **FIGURARE** varie, nisi Eruditis, negatum est. Non hic de Partitione Rhetorices disputatione, non enim Rheticam scribo, sed cum ad hæc Capita referri Aphorismi Pliniani fere omnes possint, & satis quidem commode, in I. Sect. de Inventione, in II. de Dispositione, in III. de Elocutione, in IV. de Pronunciatione acturus sum, Faxit DEUS feliciter, utiliter!

A 2

Sectio

* In Vitâ Agricolæ cap. I. §. 1.

Sectio I.
De
INVENTIONE.

I.

Facilis Inventio. Plin. lib. VI. Ep. XXVII.

§. I.



Ntiqui Rethores, dum de Inventione agunt, Argumenta invenire docent, quæ ad persvadendum idonea sunt. Cum autem Eloquentiæ Usum fere ad Forum restringerent, illos imprimis Fontes Inventionum, qui JCtis illorum Temporum prodesse poterant, excoluerunt. Hinc est quod ferè omnia Rethores Antiqui ad Forum applicent, quod eorundem Scripta docent, quæ in Compendio Vir ille, qui Labore maximo, Judicioque pari Antiquitatis Monumenta scrutatus est, *Gerardus Johannes Vossius*, exhibet in Rhetorica sua lib. I. (a)

§. 2. Ostendebant tamen Invenire facile alia quoque Orationum Argumenta, cujuscunq; Generis, cum etiam apud Romanos Funebres Laudationes, & aliæ Orationes, Fabio Teste, in Uisu fuerint (b). Et hoc modo inventio dicendi Materiam suppeditabat. Non hic Arte opus est, cum facilis sit. Enim vero, Rerum Circumstantiæ largissimam Segetem Materiarum offerunt illi, qui vel aliqua de Rebus judicandi Facultate præditus est. Hac qui destituitur, ut reliquas Eruditionis Partes, ita Eloquentiam imprimis, in qua omnes Scientiæ confluunt, invita Minerva aggreditur. Proderit tamen his, quod nunc sequitur, Plinii Consilium.

II.

Multum lege, scribe, meditare, ut possis, cum voles, dicere.

Plin. lib. VI. Ep. XXIX.

§. 1. Non abs re hoc cum *Plinio* requirunt, qui Oratorem instituunt, veteres. Ex horum Numero *Ciceronem* & *Quintilianum* adduco. Hic certe, quæ in Philosophorum Libris continentur, proprie ad Artem Oratoriam pertinere putat (c). *Ciceronis* in hac Sententia Vestigia *Fabius* legit, dum (d) scribit: Fuerunt hæc, ut *Cicero* (e) apertissime colligit, quemadmodum juncta Natura, sic Officio quoque copulata, ut iidem

Sapien-

(a) Lugduni Batav. 1643. 4to editâ. (b) Lib. III. Inst. Orat. cap. VII. (c) Procœm. lib. I. (d) c. l. (e) Lib. III. de Orat.

Sapientes atque Eloquentes haberentur. Hinc etiam laudatus Fabius
vult, ut Orbem illum Doctrinæ, quam Græci ἐγκυιλοπαιδείαν vocant,
Pueri percurrent, priusquam Rhetori tradantur. Explicat ibi etiam hunc
Orbem Doctrinæ, quæ omnia tanquam in Tabella sistit Commentarius,
splendidissimæ Editioni, in Hackiana Officina editæ, adjectus, qui ita ha-
bet: Hoc nomine Artes liberales comprehenduntur, seu Nexus ille ca-
pacissimus omnium Disciplinarum. Provocat Autor Observationis hu-
jus ad Schotti Observ. Poëtic. lib. II. c. 3. Lipsii Manuduct. ad Stoicam
Phil. lib. I. diss. I. & II. & Joh. Wouweren Tract, de Polymathia cap. III.
& XXIV. Turnebus Græcam hanc Vocem in Explicatione h. l. Discipli-
narum quandam Seriem denotare putat, quæ ostendat inter omnes Artes
esse Conjunctionem quandam & Communionem. Et hæc omnia viva
Præceptoris Vox inculcare deberet, quam *Plinius*, hic non excludit sed po-
tius includit, cum felicem Progressum in Lectione facere Nemo possit
facile, nisi Doctoris ope didicerit cum Fructu legere Scripta erudita. Imo
ipse Rhetor noster multo magis vivam Vocem afficere docet. (f)

§. 2. Et hoc sane Consilium optimum, quod si quis observat, in
Inveniendis Materiis felicissimus erit. Multa enim Lectio bonorum Au-
torum Judicium non modo acuit, verum & variarum Rerum Notitiâ
Animum imbuit, ita ut multiplex exin Lucrum sperare possimus. Impri-
mis hic Meditatio, quæ in Rerum lectorum Veritatem inquirit, illasque di-
gerit, ne Notam illam incurramus, indigestam rudemque Molem nos
habere, maximopere commendanda. Et hæc certe est Anima Studio-
rum, de quâ hic agere, Brevitas, cui studendum, non permittit. Hoc ausim
affirmare, quod, qui hæc observat, facile possit Invenire Orationis Argu-
mentum, & cum de omnibus Homo, ut par est, non possit differere, nun-
quam tamen dicendorum Penuriâ laboraturus sit. Hic enim prudentis-
simum Monitum Theologi Vratislaviensis Excellentissimi, Dn. Casparis
Neumanni (g) valet: Licet possit Oratio fieri de omnibus quæ cognosce-
re saltem Intellectus humanus potest, Orator tamen illa modo tractare de-
bet, quorum accuratiorem Notitiam habet. Hic omnino multa conferunt
Scripta, quæ laudatus Orator summus commendat, quibus addi possunt
curiosis Ingeniis non ignota Scripta, quæ huc usque in Lucem edita sunt,
quæ data Opera nunc Silentio premo. Prodeesse tamen etiam poterunt

A 3

Com-

(f) Lib. II. Ep. III. (g) In Manuduct. ad Parent. C. III. §. V, quæ Parentationi-
bus ipsius nuper editis adjecta est.

Compilatorum quorundam Curiositates & Historiae ; cum, licet fere sine omni Judicio Ingenioque scripta sint, hunc tamen Usum habeant, quod in Tabella ea exhibeant, quae sparsim alibi leguntur, & Occasionem ad elegantissimas Inventiones suppeditent. Qui itaque Suplectilem Rerum curiosarum sibi acquisivit, cum voluerit, dicere poterit, si quidem Exercitatio, quam *Plinius* etiam commendat, Scriptionis, præcesserit. Inventiones se offerent plurimæ. Res enim omnes cum intercedat & Similitudo & Dissimilitudo quædam, omnes quoque dicendi Materiam ostendunt. Hac Ratione Copiam Inventionum quilibet observat maximam, ita ut etiam in illa Inopiam aliquam nemo non deprehendat.

III.

Non facilis Electio. Plin. lib. VI. Ep. XXVII.

§. I. Experientiam hæc Sententia Testem habet, quam etiam leviter in Oratoria exercitati non ignorant. Etenim, licet vel sexcenta se offerant Themata, in hac tamen Multitudine difficulter illud inveniri poterit, quod ita Rem, de qua dicendum, exprimit, ut idem illud de alia Redici non possit. Hanc Artem Oratoris puto, quæ ad obtainendum Finem Oratoris multum confert. Neque enim nisi exclusi Tempore omni, vel deficiente omni Occasione, quod tamen vel raro, vel nunquam evenit, ejusmodi Oratio habenda est, quæ cum Inventione ad omnes ferè Casus applicari potest. Si tamen forte contigerit, prudentissimum Consilium elabendi imprudentis Notam, suppeditat Maximè Reverendus *Dn. Gasp. Neumannus* (b). Accusare se debet Orator, Erroremque suum, & Veniam illius petere, quam facile, cætera saltē moratus impetrabit. Non facilis itaque Electio, quæ pars Inventionis nobilior est; cum Teste *Quintilio* (i), ille ne quidem invenerit, qui non Judicavit; imprimis, cum non omnibus eadem placeant, nec convenient quidem, Verba sunt Rhetoris nostri. Ipse tamen hanc Difficultatem tollit, dum ita scribit:

IV.

Faciendi aliquid, vel non Faciendi vera Ratio, cum Hominum ipsorum, tum Rerum etiam ac Temporum Conditione mutatur.

Plin. lib. VI. Ep. XXVII.

§. I. Has Actionum humanarum Circumstantias curiose observans, & in Vitâ communi & in Eloquentiæ Studio, Laudem prudentis merito reportat. Enim vero, omnino Hominū dicentium audientiumq;

Con-

(b) In Manuduct. ad Parent. c. III. §. 18. 19. (i) Lib. III. Inst. Orat. c. III.

Conditione Themata Orationum mutantur. Non eadem Juvenem, quæ Senem decent: aliam Orationis Materiam, qui in Autoritate constitutus est, eligere potest; alia convenient Oratori, qui Auditores Viros habet maximè spectabiles, infra quorum Conditionem Fortuna eundem adhuc detinet. Et hæc ipsa Observatio ipsius quoque Elaborationis atque dicendi Generis Diversitatem ostendit. Neque insuper habenda Rerum ac Temporum Conditio; ipsa quippe Res, de quâ dicendum, diligenter attendenda est, Temporisque Ratio habenda. Illustrare hæc omnia Exemplis nolo, illa in aliud Tempus rejiciens.

§. 2. Et hic quidem non adeo difficilis est Electio, quando Conditiones adductæ in uno aliquo Thematे conspirant; difficilior tamen, ubi illæ invicem pugnant, dum altera Thema eligendum svadet, quod dissvadet altera. Certæ Regulæ suppeditari facile non poterunt, cum Casuum Multitudo aliquid certi definiri non permittat. Licet enim Personæ dicentis Conditio præ reliquis Circumstantiis attendi debeat, & illa tamen aliquando negligenda, ubi reliquæ Conditions in uno Thematе conspirant. Qui autem hanc Rationum Luctam vincere facile non potest, aliam Orationis Materiam eligat, quæ tantis Dubitationibus subiecta non est. Hoc ipsum vel leviter exercitato difficile non erit.

§. 3. Etenim, si Rem, quæ dicendi Occasionem offert, juxta illos, quos Logica ostendit, Locos, consideret, facillimo Negotio uberrimam Inventionum Segetem habebit. Egerunt jam de hac Re Viri Clarissimi, *Valentinus Thilo*, cuius Topologiam Vir de Juventute Studiofa optime meritus *Dn. Christ. Weise* (k), merito commendat, & ipse quoq; laudatus *Dn. Weisius*, qui Rem omnem non inutiliter in Oratore suo, ut vocat, Politico (l) illustravit. Hæc Via est qua Tirones Eloquentiæ Incedere possunt, quâ tamen Orator excocti & firmati Judicij carere potest, prout cum Hamelio lib III. de mente humanâ, cap. II. recte sentit celeberrimus *Morbofius*. (m)

Sectio II.

De DISPOSITIONE.

I.

In Dispositione sit arguta Divisio. Plin lib. VI. Ep. XXXIII.

(k) *Im Politischen Redner in der ersten Abtheilung* cap. VI. p. 113. seqq. (l) Loco cit. (m) *In Dissert. de Eloqu. in Tacendo A. 1684. Kilonii habita.* §. VI. p. 9.

§. I.

§. 1. Hæc est veterum, de Dispositione, Doctrina. Plane idem enim *Quintilianus* dicit, dum Dispositionem nihil aliud esse docet (*a*), quam Rerum, Ordine quam optimo, Collocationem. Hunc ipsum Ordinem vel Natura vel Ars quoque ostendit. Illa Rem, ut acta est, proponit; hæc Methodum Naturæ prudenter & jucunde mutat. Verum antequam Materia, de quâ dicendum, proponatur, Animi Auditorum sunt præparandi, ut vel Oratorem, vel Rem tractandam, quâ decet Attentione, audiant. Ethoc est Officium Exordii. Finem hunc Orator obtinet facile, si post Res omnes inventas atque ordinatas de Exordio cogitet, quod ex ipso Orationis Argumento quasi natum esse debet. Hic si Virtutes, quas Oratori colendas Elocutio atque Pronunciatio docet, curiose observat, quæ Finis est Exordii, Attentionem, facile impetrabit. Hinc Inventio, quam omnia Orationis Membra respiciunt, proponitur. Illa Confirmatur variis Argumentis. Post ipsam, quam ad tractandum proposuimus Rem, Conclusio sequitur, quæ se Absentiâ sæpius quam Præsen- tiâ commendat. Stimulum, enim quem relinquit Oratio, eximere, minimum sæpe videtur. Sunt tamen Occasiones, quæ concisam Repetitionem Argumentorum cum Commotione Affectuum penetranti sibi vindicant. Hæc autem clariora ex Exemplis quam Præceptis fiunt. Observandum tamen & in ipsa Dispositione Monitum *Plinii* supra (*b*) adducum. Etenim vel ipsorum Auditorum Conditio nonnunquam Partium Ordinem, quem hic descripsi, immutat. Enimvero, qui in Consessu Vi- rorum, præter Libertatem, noxiā tamen, nihil æstimantium, svadere vellet, ut hanc ipsam Libertatem infelicissimum Infelicitatis Fontem angustioribus circumscriberent Limitibus, quo ne omnes Terras Orbis sui inundet, male certe ageret, si Propositionem in eo, quem alias habet Loco proferret. Potius variis Stratagematibus Oratoriis Rationes sunt proferendæ, atque post efficacissima atque exquisitissima Argumenta Propositio subjungenda. Hæc Stimulum in Audientium Animis, variis Rationibus, etiam ipsis nolentibus, bene præparatis, relinquit.

§. 2. Naturam Dispositionis, qui hac Ratione percepit, Occasiones videt, Res omnes varie ordinandi. Neque enim Rethores illa Dispositionum Genera, ut Præcepta, sed ut Exempla proponunt, cum ipsi suo Comprobent Exemplo, plures quotidie inveniri posse.

§. 3. Consideremus saltem Hominem secundum omnem Vitæ Cur-

(*a*) Lib. III. cap. III. (*b*) Sect. I. IV.

Cursum, qui hodie ferè omnem dicendi Materiam suppeditat. In hoc itaq; Ingressum, Progressum atq; Egressum Vitæ attendere Animus est.

§. 4. Ingressus Hominis Occasionem dicendi præbet, imprimis apud Personas Illustres. Hic subditi gratulantur de Hærede illarum Virtutum, quas subjectissimam Devotione in Parentibus coluerunt. Exemplum illustre videre possumus in Oratione (c) elegantissimam, magni Oratoris, Conradi Thamnitii, quam Peplum Minervæ Sarmaticum inscripsit. Hæc quoque Exemplar Dispositionis exhibit.

§. 5. Progressus vitæ, maximam dicendorum Copiam, Eloquentiæ Studiosis suppeditat. Non adducam Orationes, quas alicubi Onomastica Lux, vel etiam Natalis exigit, sed me ad alias conferam. Homo quando Curæ aliorum committitur, Oratoriæ Cultores exercet. Morris namque est, ut Illustriores Personæ, illis, quibus Virtutes earundem provehendæ committuntur, Oratione commendentur. Exemplum hujusmodi Orationis Excellentissimus Rhetor & Orator, *Dn. D. Christian Weidlingius* (d) exhibet. Est illud Magni Ministri in Aula Invictissimi Electoris Brandenburgici, qui hoc Jussu Principis hujus Celsissimi elaboravit, cum Hæres Serenissimus Orbis Brandenburgici, Princeps Juventis, Curæ Illustrissimi Comitis, *Dn. Dobna*, committeretur. Hoc Exemplar Imitatione felicissimam laudatus Autor expressit, quæ in ipsius Oratore extat (e). In Progressu Vitæ illa se Tempora quoque offerunt, quibus Diis Orbis hujus, Terrarum Gubernacula committuntur. Illa Gratulationes postulant. Exempla hucusque audivimus, cum Augustissimo FRIDERICO AUGUSTO, Regi Poloniarum atque Saxoniæ Electori, Principi Optimo Maximo, subjectissima Saxonia gratularetur. Varias, illæ Orationes, nobis Dispositiones exhibent. Has Votivas Acclamations excipiunt illæ Orationes, quibus Personæ Principes à Subditis, Fidem sibi debitam Juramento obsignandam postulant, ut & illæ, quibus Subditi ad ejusmodi Orationes respondent. Conferri hic meretur laudatus saepius jam *Dn. Weidlingius* (f), qui Consilia sua disponendi, Exemplis, non in Scholis, sed in Aulis atque Republ. natis, illustrat. Qui Studiis suis Patriæ Salutem promovere tentant, ad illos, dum Officiis præficiuntur, sermo quoque habetur, qui Rationes indicare potest, cur ipsis Officium hoc demandatum sit, atq; Fidei Præmia, Gratiam Magistratus, promissa Stipendia, certo promittere cum omnigena Felicitate.

(c) Thorunii 1651. in fol. edit. (d) in Oratorischen Hoffmeister. c. II. p. 64. (e) c. I. p. 69. (f) Cap. V. p. 112.

citate. Et hanc Dispositionem non solum Oratio ad Ministros Principis alicujus (g) sed & ad Syndicos in aliquibus Locis haberi solita, observare potest. Hunc quoque Ordinem in Orationibus, quæ ad Rectores Gymnasiorum haberi solent, sequi Oratores possunt, nisi forte velint de Antecessoris atque recens introducti Successoris Virtutibus differere, quæ requiruntur ad ejusmodi Officium arduum. Hic iterum commendō Dn. D. Weidlingum (h). Illis Exemplis à celeberrimo Rhetore adductis, addo Exemplar Orationis ejusmodi, Viri Magnifici, Dn. Georgii Hübneri, Reipubl. Thoruniensis Præ-Consulis & Gymnasii Proto-Scholarchæ, Cujus Oratio inauguralis, quam habuit in illustri Gymnasio Patrio sub Auspicio Rectoratus Celeberrimi Dn. Wendii, edita à Clarissimo M. Johanne Sartorio, P. P. laudati Gymnasii (i). Huc quoque pertinent Orationes, quas sub Initium Officiorum suorum præmittere solent, Professores imprimis. Hic saltem ad Exemplum Præceptoris mei Honoretissimi, Excellentissimi Dn. Martini Hankii provoco. Hujus Oratio inauguralis, Professioni Philosophiae Practicæ, Historiarum & Eloquentiæ in inclito Elisabetano Vratislaviensium Gymnasio Anno 1661. d. 8. Decembris præmissa, extat (k). Qui itaque in ejusmodi Dignitate Constituti sunt, de Conjugi cogitare possunt. Hanc si desiderat, solet Sponsus ad illam, quam Amore prosequitur, Amicum mittere, quo de Sententiâ, quam habet, eandem interroget. Orator hic Quæstionem hanc proponit, Rationesq; subjungit cur eandem proponat, qua Occasione, Virtutes Sponsæ, quasi aliud agendo, laudare poterit, Sponsiq; Officia exoptatissima promittere. Varias Dispositiones Exempla dabunt, quibus Dn. D. Weidlingius Præcepta sua (l) clariora reddidit. Solent & Orationes post ipsam Benedictionem Sacerdotalem haberi, quæ nomine Personarum Illustrium Sponsam Sponso tradunt, de quibus laudatus saepius Rhetor (m) agit. Illam Orationem quæ Dotem Sponsæ tradit, &c, quæ hanc sequitur, Responsionem, cum illâ, quæ debita subjectione veneratur Dona Personarum Principum, nunc mitto, cum & utiliter & prolixe satis de his egerit Dn. D. Weidlingius (n), cui jungere possumus Dn. Christ. Weisum, qui non pauca huc pertinentia habet (o).

§. 5. Silentio premo alias dicendi Occasiones, quas Hominis Ætas, & quas

(g) Vid. Dn. D. Weidlingii *Oratorischen Hoffmeister* Cap. V. num IV. p. 1700. seqq.

(h) im *Oratorischen Hoffmeister* C. V. p. 1499. seqq. (i) A. 1696. Thorunii. (k) inter Orationes ejusdem Lipsiae 1673. 8vo editas IIda est. (l) Cap. V. p. 986. seqq. (m) c. I. p. 1015. (n) c. I. (o) im *Politischen Reduer/dritte Abtheil.* Cap. III. p. m. 722. seqq.

& quas, cum illâ subit, Mutationes, suppeditant; neque enim hic omnes, aliis jam nominatas, adducere Animus est; Inprimis cum vix persuadere mihi possim, Rhetorem ullum omnes Orationum Occasiones proponere. Neq; tamen Erroris ideo sunt accusandi, cum & illis jam exercere suos possint in Dispositionis Artificio, quo apti fiant, quâcunq; Occasione Materiam Orationis apte disponendi. Etenim illos Sermones, qui longius secedunt à Studiis nostris, facillimo Negotio quis elaborare poterit, qui in Eloquentiæ Studio exercitatus est, licet vel nunquam à Præceptore ejusmodi Dispositionem audiverit. Imo Elaborationes commode poterunt ut Exempla proponi, imprimis cum persuasi simus, Viros in Autoritate Constitutos Eloquentiam aulicam rectissime tenere. Ipsos certe hæc omnia Rethores illius Temporis non docuerunt, & si forte alia Ratione Orationum Aulicarum Argumenta proposuissent, & eandem mererentur Laudem. Interea gratulamur nobis, quod post relegata Themata illa, v.g. Laudem Alexandri magni, Tempe Thessalonicensium, vituperium Sardanapali, Catilinæ, &c. elegantiora nunc proponantur, quæ Eloquentiæ Usus in Vita Civili maximum arguunt. Veniam itaq; impetrabo, reliquis Orationibus missis, ad hominis Egressum properans.

§. 6. Laudandus hic est defunctus jacturaque tantarum Virtutum dolenda. Verum & erigendi sunt Animi, tristissimo Casu velut prostrati. Hoc est, quod jam olim *Dionysius Halicarnassus* Tom. II. opp. in Rheticis observavit, dum scribit: Epitaphii Sermonis tres esse Partes: Laudationem, Lamentationem & Consolationem. Hæc est fere Materia, quam prudens Orator ordinare, prout Rerum Circumstantiæ svadent, potest. Enimvero, ipsæ Inventiones Ordinem saepè alium postulant, ita quidem, ut nihil certi hic svaderi possit, quod vel in omnes vel saltem in plures quadret. Duodecim Dispositionum genera Parentationum, ut vocantur, ex totidem Inventionum Clavisbus desumta, *Dn. D. Weidlingius* exhibet (p). I. Historiam Fundamenti loco ponit, quæ Dispositionem dirigit, II. Laudat mortuum, dolet ipsius Mortem & deniq; erigit, quæ fere naturalem modo adductum Ordinem servat: III. Tria, ut vocantur, Realia fundamenti loco ponit, de quibus omnibus prolixè satis *Dn. Weisius* (q). IV. Sub Allegoria dispositionem proponit, de quibus confer etiam *Dn. Weisium* (r). Imprimis commendando absolutissima hujus Modi

B 2

Exem-

(p) Cap. IV. in *Oratorischen Hoffmeister*. (q) in *Politischen Redner* in der III. Abtheilung/ cap. II. (r) c. I. p. 472. sqq.

Exempla Celeberrimi *Dn. Casparis Neumannni*, quæ in Parentationibus (s) ipsius habentur. V. Modus est quando vel Agnati vel Collegæ Sermōnem funebrem habent, cujusmodi Exempla iterum absolutissima, i. e. *Dn. Caspar. Neumannni*, habemus, quorum primum Parte III. Parentationum (t) extat, ultimum autem editum est in Honorem Theologi, in quo & Eruditio & Pietas summa erat, Beati *Dn. M. Friderici Viccii*, Præceptoris quondam fidelissimi. Materias Parentationis Consangvineis vel etiam amicis habendæ Collegit *Dn. Weisius*. (u). VI. Classis ex Arte Heraldica Inventionem desumit. Confer *Dn. Weisium* (w). VII. Vexilla atq; Inscriptiones sepulchrales attendit. VIII. Locus aliquis Communis, ut vocare solemus, Inventionem, Dispositionem proponendi suppeditat. IX. Eruditam Quæstionem proponit, ubi iterum *Dn. Casp. Neumannum* adduco, qui jam Ao. 1671. Quæstionem hanc, utrum rectius faceret ille qui rideret, an ille qui fleret? in Parentatione proposuit (x). Conferri quoque meretur *Dn. Weisius* (y). X. Modus in Casu extraordinario docet Orationem funebrem scribere; XI. Relationes publicas; XII. ultima morientium Verba attendit. Et hos disponendi modos prolixe satis *Dn. Weidlingius* proponit, cuius Præcepta cum hic fere in omnium Manibus sint, ad illa Lectorem remittere possum. Verum hi Dispositionum Fontes maximam Partem etiam ad alias Orationes adhiberi possunt. Imo & alii Modi specialiores magis hac Ratione inveniri possent, verū cum etiam ad generaliores pertineant, & sub illis comprehendantur, illos missos facio, has de Dispositione Cogitationes Magni *G. J. Vossii* verbis (z) concludens: Hoc Argumentum plane pleneq; Artis Præceptis explicari non potest. Viam Præcepta muniunt Ingeniis, non Rem totam decidunt ac determinant. Quippe Circumstantiā mutatā, variat hoc Artificium, imo etiam non mutatā, alia atq; alia tractandi Ratio occurrit.

Sectio III.

De ELOCUTIONE.

Figurare *Plinio* hic nihil aliud est, quam quod vulgo Elocutionem vocant, hoc enim vel ipsa Epistola docet. Et de Figuratione hac vel Elocutione quid Autor habeat, videbimus.

1. Placent

(s) Lipsiae 1698. recusis. (t) p. 691. (u) c. I. p. 609. sqq. (w) c. I. p. 683. sqq. (x) extat Part. I. p. 148. (y) c. I. p. 521. sqq. (z) lib. III. Rhet. Part. altera c. VII.

I.

*Placent Autori in Oratione acuta & crebraq; Sententiae, gravis & decora
Constructio, sonantia Verba & antiqua. Plin. lib. I. Ep. XVI.*

§. 1. Liceat hic ordinem *Plinii* leviter invertere, atq; illam, quam in Oratione ultimo laudavit Virtutem, primo Loco, sed paucis attingere. Antiqua Verba *Plinio* placent. Jam namq; suo Tempore novas Voces, nescio quæ Libido, effinxerat. Neq; tamen antiquatas illas Voces, quas Consuetudo è Memoriâ tulit, commendat, cum Interprete *G. J. Vossio* (a), antiquari nihil aliud sit, quam obsolescere. Ac proinde hoc Temperamentum hac in Re observandum mihi videtur, ut ne Voces nulla urgente Ratione nobis effingamus, sed illas, quas *Uſus* introduxit, adhibeamus, ac potius Pruritum illum Verba sibi faciendi pro Lubitu, Vitii Nomine notemus. Non tamen hæc Consuetudo utilissima, novis Inventis nova denegat Nomina. Libertas omnino hæc Nationis manet, ut suo, quod Rem exprimere putat, Nomine, licet novo, Rem quoq; novam designet. Verum hæc jam aliis excussa sunt, ex quibus hic unicum *G. J. Vossium* adduco, qui in integro Scripto (b) de Vitiis Sermonis Latini utilissime egit. Mitto proinde illa, hūc saltem quorundam morem in Lingua Germanica imprimis, notans, qui, quo ostendant se Librum Gallicum vel Italicum vidisse, eidem aliarum lingvarum voces miscent. Malunt hi alienis quam propriis superbire Pennis. Sed cur Germanicas Voces Galli vel Itali suæ linguae non immiscent? Non tamen illas Voces reprehendimus, quas *Uſus Civitati Germanicæ* donavit.

§. 2. Sonantia quoq; sint Verba, Autor cum Rhetoribus requirit, quippe qui Elegantiæ Partem alteram in Perspicuitate ponunt, quam *Plinius* in *Saturnino* hic laudat. Et omnino Orationis hoc primarium Requisitum est, ut sit clara, quo possit intelligi, quapropter vitandæ sunt Obscuritares, quæ in Verbis latere possunt. Nominandus hic est *G. J. Vossius*, qui de his quam optime differit (c).

§. 3. Post verba, ipsorum Structuram, quæ in Periodo attendenda venit, describit, quam gravem & decoram desiderat. Doctrinam de Periodo, apprime necessariam & Juventuti curiosius, quam fieri sæpe solet, tradendam, hic non attingo, cum de eâ jam magnus *G. J. Vossius* necessaria Praecepta habeat, cui jingo non inutilem Libellum de hac materiâ Valent. Thilonis. Hic saltem, quid Gravitas Constructionis sit, indicabo.

B 3

Ex

(a) Rhet. lib. IV. Cap. I. p. 14. (b) Amstel. 1645. 4to. (c) in Rhet. lib. IV. Cap. I. p. 30. sqq.



Ex Antiquis hic scriptor lumen accipiet quoddam. Adducam hic vel ^{u-}
nicum Hermogenem, qui (*d*) περὶ σεμνότητος, & ut interpres reddit, de
Gravitate non pauca habet. Ex hoc loco illud observavi, Plinium in hoc
ipso per Gravitatem Constructionis, forte Misturam illam Verborum,
quæque observat Concursum Literarum, Pedumq; intelligere. Conferen-
dus hic etiam est *Quintilianus* (*e*). Hoc saltem notandum, quod nimia
in hoc Studio Curiositas vertatur in Vitium; cum ipso enim Fabio hæreo,
an Negligentia in hoc, an Sollicitudo sit pejor, imo, si quis hanc constru-
ctionem laboriose excoleret, ejus Eloquentiam cum *Fabio* (*f*) libidino-
sam jure meritoq; vocarem, & hac Ratione Laudem gravis atque decoræ
Constructionis oratio ipsius amitteret. Aurum itaq; Judicium in hac
Gravitate, quæ in Numero sita est, adhibendum; cum sit velut Metrum
imperfectum, non adeo conspicuum, sed latens, ita tamen ut Savitatem
ejus Aures percipient, prout *G. J. Vossius* loquitur (*g*). Verum ut in omni
Oratoria, ita & in hoc Numero Exempla bonorum Autorum multa con-
ferunt, qui suo Exemplo Variationem Numeri Commandant. Et hæc
gravis Constructio decora quoque est atque elegans.

§. 4. Nec parum Elegantiæ Orationi conciliant Sententiæ, imprimis
si sint acutæ, quæ sæpius insparsæ & ex ipsis Rerum Visceribus desumptæ,
Oratorem commendant. Judicium enim ejusmodi Dicta generalia & bre-
via, de Rebus ad Vitam pertinentibus, Oratoris arguunt, quod ipsum mi-
rum quantum Animos conciliat. In hac autem Arte non immerito Pru-
dentiam Antiquorum miramur, quorum Vestigia hic non sine Utilitate
maxima legere possumus. II.

*In Euphrate sermo Varius, Dulcis imprimis & qui repugnantes quoq;
ducat & impellat, Plinio placet lib. I. Ep. X.*

§. 1. Sermo Varius Oratori omnino commendandus, ut ne Chordâ
eadem semper oberrare videatur. Opus enim est Variatione, ne eadem
sæpius redeant Locutiones, vel etiam Transitionum Formulae, & alia, quæ
linguae alicujus Tironem produnt. Hæc autem Varietas dulcis imprimis
esse debet, quam etiam Dulcedinem in ipsa Varietate quilibet observat.
Hanc Asperitas in Verbis, Schematibus, imo ipsa Compositione latens,
tollit, cum è contrario gravis & decora Constructio modo laudata, dul-
cem Sermonem efficiat; ubi nec parum conferunt Figuræ Orationis,
quas ipse Secundus commendat. (*b*) III.

(*d*) de Form. Orat. lib. I. Cap. VI. (*e*) lib. IX. Inst. Or. Cap. IV. (*f*) lib. V. Inst. Or. Cap. XII.

(*g*) lib. IV. Rhet. c. IV. p. m. 72. (*b*) lib. I. Ep. II. lib. III. Ep. XIII.

III.

Nisi decet, ut quamlibet diversa Genera Lectorum per plures dicendi Species teneamus, ut Universitatem omnibus Varietas ipsa commendet. Plin. lib. II. Ep. V.

§. I. Hæc certe Sententia & Rhetoris & Oratoris magni sane pro Ratio ne mihi Constat. Hanc enim Varietatem ipsa humanæ Naturæ Varietas requirere videtur. Neq; exinde Orator Vitii alicujus accusandus, sed potius laudandus, cum hac ipsa Varietate artificiosissimâ, varios Auditores in suas Partes trahere possit. Ac proinde

IV.

Quædam sunt etiam Adolescentium Auribus danda, præsertim si Materia non refragetur. Hinc in aliqua Orationum suarum Descriptiones Locorum frequentiores, non historicè tantum, sed prope Poëtice, ut fas est, prosequitur Plinius. vide lib. II. Ep. V.

§. I. Et omnino Severitas illa, quæ Viros decet, Animum Juventutis vix afficere potest, quæ excelsa sæpe & prope Poëtica in Orationibus amat. Fateor equidem, hoc scribendi Genus aliquibus Oratoribus Antiquis non fuisse adhibitum, & hæc etiam Ratio est, quod Criticelli quidam alias bonos Autores, qui hoc modo Eloquentiam exornant, Erroris alicujus sæpius accusent. Etenim, quæ aliquis introduxit, sub quo illo Tempore Eloquentia fuit, cæteri imitati sunt & alter alteri tradidit; quasi vero illi ab omni Errore fuerint immunes, vel Natura omni posteritati illam Ingenii vim denegaverit, quæ ad Ornamentum Eloquentiæ aliquid possit Conferre. Plinius certe, qui Styli tumidi accusatur (i), cum sublimis saltem ipsius Stylus sit, in hac Oratione Studium omne adhibuit, quod ipsum citata Epistola docet. Et hunc prope Poëticum Stylum non obscuri nominis Oratores nostro quoq; Seculo excoluerunt. Ex omnibus unicum nomen, B. Conradum Thamnitum, Virum supra jam laudatum. Sed in hoc Stylo Prudentiâ etiam opus, ut tamen Oratorum Stylus à Poëtarum differat. Negare equidem non possum, hoc ipsum scribendi Genus ut vitiosum quibusdam rejici, sed cum ejusmodi homines sua saltem æstiment atque proprii Styli Admiratione teneantur, omniaq; quæ cum hac sua Regula non convenient, rejicient, rejicere quoq; eorundem Judicium potero, atq; spernere. Sed forte Plinium Inæqualitatis illi accusabunt, dum frequentiores inspersit Descriptiones prope Poëticas. Verum ipse dum se explicat, Defensione non eget.

(i) lib. IX. Ep. XXVI.

V. De-



*Debet Orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, efferri, ac
sepe accedere ad Praecepis. Eloquentiam enim nihil magis, quam
Ancipitia commendant. Plin. lib. IX. Ep. XXVI.*

§. I. Nihil hic addi potest, in eo enim Plinius est, ut hanc suam sententiam, quam etiam lib. III. Ep. XIII. habet, dum svadet, non affectanda esse elata & excelsa, sed Orationem tam submittendam, quā attollendam, loco citato probet, quapropter post Elocutionem ad Pronunciationem progredior, sit itaque

Sectio IV.

DE PRONUNCIATIONE.

Hæc ipsa Pronunciatio elegantissima Oratoriæ Pars non adeo facilis est, licet Teste Plinio etiam in Barbaros interdum cadat. Ipse namq; fatetur, (a) Recitationem etiam imponere Prudentibus posse. Et in hac maximorum Oratorum Laus sita est, quorum Scripta lecta frigent, in quibus minores inveniuntur etiam illi, quos Fama maxima præcessit. Hoc scientes, multi Oratores satis Clari, sua tamen Luci publicæ exponere Scripta nolunt, putantes se Jacturam Laudis suæ in Scriptis facturos. Et hæc tam nobilis Eloquentiæ Pars multos quoque Cultores invenit. Plotii de Actione Volumen ut & Nigidii cum Marci Tullii Opusculo de Artificio dicendi adducit Ludovicus Cresolius, Appetitumque, sed frustra movet. Laudat etiam Autorem ad Herennium, hunc ipsum Plinium & Fabium Quintilianum, in quibus non pauca de Pronunciatione Monita, esse rectissime observat (b). Laudem quippe singularem meretur hic Ludovicus Cresolius, Armoricus, è Societate Jesu, qui Vacations Autumnales, sive de perfecta Oratoris Actione & Pronunciatione libros III. scripsit (c), in quibus è Scriptorum elegantium Monumentis Gestuum & Vocabulaciones non indocta Copia (ceu Titulus verissime habet) & Varietate explicantur, & Vitia in agendo notantur. In hoc scripto quæ saltem in Antiquorum Voluminibus habentur, magno Labore collegit atq; Orbi literario hæc omnia tanquam in Tabella exhibuit, ita quidem ut opus hoc omnibus Eloquentiæ Studiosis & qui vel sacro, vel profano in Loco publicè dicunt, utilissimū sit, prout Inscriptio, citra omnē Jactantiā, loquitur quod tamen jam latere incipit. In hoc Praecepta generalia num recte desideret

(a) lib. III. Ep. XV. (b) in Prælusione operis. (c) qui Lutetiae Parisiorum A. 1620. in 4. ta majori prodierunt.

detet *Petrus Francius* (*d*), dubito. Hic *Francius Clarissimus*, hoc, quod in *Cresolio* desiderat, forte se in Specimine suo Eloquentiae exterioris (*e*) præstisset putat, in quo Libello post Præfationem, in qua de Natura Studii hujus quædam habet, Autores quosdam de hac Arte adducit, atque Testimoniis veterum eandem commendat, Orationem Ciceronis pro Archia integrum exhibet, cui Regulas quasdam de Pronunciatione atque Actione subjungit, quæ deinde ad Orationem *Ciceronis* applicat, atque quomodo illa & Voce vivâ & Actione sit exprimenda scripta Voce ostendit. Nec adeo infelix hic Vir fuit, qui in hac Arte Artifex esse videtur. Hic quoq; adducendus est Libellus *Dn. Conrart*, quem scripsit (*f*) de Actione Oratoris, sive de Pronunciatione & Gestu, qui, ut in Titulo extat, omnibus, qui Orationem habere volunt, necessarius est. Autor Gallus est, qui, ut *Dnn. Collectores*, Actorum Eruditorum, Lipsienses judicant (*g*), civium suorum Gallorum Indolem, Mores ac Institutum passim sequitur. Hunc non immerito Commandant Autorem, quem, dum Prelo hæc subjicio, latine versum video, ubi & illa addita sunt, quæ *Autor ad Herennium* & *M. Fabius Quintilianus* de hac arte habent. Helmstadii prostat An. 1690. in 4ta. Nunc ea, ad quæ Occasionem suppeditabit *Plinius* in Aphorismis suis, videbimus.

I.

Altius in Animo sedent, quæ Pronunciatio, Vultus, Habitus, Gestus etiam dicentis affigit. Plin. lib. II. Ep. III.

§. I. Pronunciatio duo comprehendit I. Vocis pro Rerum Affectuumque Varietate Conformationem, quæ alias etiam Pronunciatio vocari solet, ubi in strictiori Sensu Vox ipsa sumitur: II. Corporis quoq; Moderationem. De utraque in adductis Verbis agit *Plinius*. Hæc Adjumenta Eloquentiæ altius Animo imprimunt omnia, quæ considerare nunc Animus est. Sed ut ordine fiat, illa quæ de Pronunciatione sive Voce reliquit Monita, videbimus.

II.

Clara debet esse Vox & suavis (Plin. lib. V. Ep. XVII.) hinc reprehendit fractam Plin. lib. II. Ep. XIV.

§. I. Hic non possumus non illud *Ciceronis* (*b*) adducere, qui Vocem primum optandam, deinde, quæcunque sit, eam tuendam recte do-

C cet.

(*d*) In Præfat. Speciminis Eloqu. exterioris. (*e*) Amstel. 1687. 12. (*f*) Trectè de l' action de l' orateur, ou de la Pronunciation & Geste. Paris. 1686. 12. (*g*) A. 1687. Mens. Jan. p. 17. (*b*) Lib. III. de Oratore.

cet. Maxime autem Vox virilis atque naturalis, quæ nullis fucata sit Modis, quæ pro Mensurâ Auditores habet, nullâ ineptâ Flexione adulteretur, commendari debet. Poterit tamen clara Vox, quam hic *Plinius* requirit, Exercitatione crebrâ acquiri, ut & Svavitas, cui obest horridior Stylus. Nocent itidem Voci claræ & svavi Libido, Frigus, Inedia, Lucubrations; nocent Nuces, frigidæ potus, frigidus aquilo, quæ omnia vel rauca vel fractam Vocem efficiunt. Hoc tamen Pronuntiationis Vitium corrigunt illa, quæ Arteriarum & Pulmonis Asperitatem leniunt atque detergunt & extenuant. Ambulatio hic quoque aliquid confert, cum alere Vocem Antiquis dicatur, quod *Seneca* docet in Proœmio Controversiarum, ubi latus ambulatione reparari posse, scribit. Imprimis vero jam laudatam Exercitationem unanimi Consensu veteres commendant. Hoc est Compendium Verborum, quæ prolixæ sed erudite tamen & utiliter leguntur apud *Cresolium* (i), cum quo confer laudati Petri Francii Specimen Eloquentiæ exterioris. (k)

II.

Cunctationem in Sermone laudat Plin. lib. IX. Ep. IX.

§. I. Hæc ipsa Cunctatio stillat Verba & Laudem meretur in Oratore. Animo enim imprimet ea, quæ dicuntur. Imprimis Moræ quædam interdum adhibendæ sunt, quando nimirum Res graves describuntur. Admiratio & alii Affectus ejusmodi Tarditatē Pronunciationis sibi quoq; vendicant. Interdum tamen & celeris Pronunciatio Locum habet, ubi nimirū Rerū Multitudo Incisis multis & brevib⁹ explicatur. Vide Cresoliū. (l)

III.

Laudat etiam Plinius Oratores, qui pro Diversitate Orationum vel acriter vel ardenter, (lib. I. Ep. XVI.) vel etiam dolenter & graviter (lib. IV. Ep. XI.) easdem dicunt.

§. I. Circumstantiæ omnino docent, quando Vox sit attollenda, ne *muovotavies* Notam, quæ maxime est fugienda, incurramus. Tres autem sunt, qui commendantur Toni, 1. communis, 2. Ille, qui est paulo major, qui ad consolandum, & quoties leniores Mot⁹ ciendi sunt, aptus est; 3. vehemens, hic est ille ipse Tonus, qui ardens dicitur. Curæ enim sed leviores vel Ira & alii Affectus quidam vehementem Vocem emittunt. Dolenter autem ille dicit, qui submissæ Sententiam suam profert. Quid autem Tonum mutet, *Petrus Francius* perspicue docet (ll), dum hoc fieri vel

(i) Lib. III. cap. IV.VI.XI.XII. XIIIX. (k) p. 44.seq. (l) Lib. III.c.XVI. (ll) Specim. Eloqu. Exter. p. 49.

vel Ratione Materiæ, vel Ratione Partium Orationis, vel Ratione Figurarum vel etiam Ratione Affectuum scripsit. De his omnibus sigillatim agit. Prolixius hac de re vide Cresolium. (m)

§. 2. Hæc de Voce sufficient, cum ea rectius vivâ Voce, quam litteris exprimi possint, nunc ad Actionem progredior. Hanc veteres maxime excoluerunt, etenim Eloquentiâ illâ mutâ omnia cogitata, sive Argumenta illa fuernt, sive Figuræ, ita expresserunt, ut etiâ intelligi potuerint. Imo cum Cicerone Roscius Histrio, Teste Morboſio (n) decertavit, uter pluribus Modis Sententiam variaret, prior Verbis? alter figuratis Gestibus? Mutâ hæc Eloquentia in Manibus imprimis atque Oculis consistebat, quam Chiromantiam oratoriam appellat Augustinus Mascardus in Dissertationibus Romanis, Dissert. VII. ubi plura de hoc Argumento habet, Morboſio (n) illud perhibente, qui etiam Joh. de Bulwer, Angli, de Figuratione Manuum singularem Librum adducit, atque Laborem Italorum plane imperfectum judicat, cum ad Perfectionem veterum non pervenerint. Sed mutam hanc mittimus de illa Actione agentes, quæ vivæ Vocis velut Anima est. Hic Vultus, Habitus & Gestus considerandi sunt.

IV.

In ore sic Probitas (lib. IX. Ep. IX.) i.e. multum sanguinis multumque solitudinis. Plin. lib. V. Ep. XVII.

§. 1. Ipse Vultus, qui Præcipuum Actionis Adjumentum est, Caput ipsum quoque ornat. Hoc in Oratore debet esse erectum Statumq; naturalem habere; similtamen cavendum, ne Cervix nimis attollatur, quod superbi ambitiosique Argumentum est. Neque tamen Demissio Capitis laudanda, nisi in Luctu atque Mœrore. Illud Vitium, quo idem Caput in utrumque Humerum per Vices demittunt, quasi Vertebrae, Juncturæque Colli sint solutæ, Mollitiem aut infamem Voluptatem arguit. Sed & hæc Inflexio modice adhiberi potest aliquando in Miserationibus commovendis. Et in Capite Vultus imprimis attendendus.

§. 2. Ad hunc vim omnem Actionis, Cresolio (o) Teste, Cicero refert, in quo Pudor atque Modestia esse debet una cum Verecundiâ, quæ multum sanguinis secum trahit. Hujus Sangvinis Multitudo & Os commendat, cum quâ Sollicitudo conjuncta sit; cum Homines in Studiis magis Timor, quam Fiducia deceat, ut Plinii verbis iterum utar (p).

C 2

§. 3.

(m) Lib. III. c. XII. (n) In Dissert. de Eloq. in Tacendo. §. 2. (o) Lib. II. cap. II. pag. 130. seqq. (p) Lib. V. Ep. XVII.

§. 3. Imprimis hic Oculi in Vultu sunt attendendi, quos inter præcipua Pronunciationis Adjumenta mox numerabit *Plinius*. Hi sunt Speculum & Domicilium Animi, Affectionum Januæ, qui tacito Sermone, quem Animo sensum Affectumque Homo premat, loquuntur, de quâ Re Conferri meretur elegantissimus *Edonis Neuhufii Libellus*, quem de cognoscenda Hominum Indole & Secretis Animi motibus scripsit (q). Et Oculos cum Humanitas blandos, Amatorios Lascivia, Pudor submissos, Constantia graves, truces Barbaria, Iracundia flagrantes, Invidia limos & transversos faciat, quid fugiendum vel etiam faciendum sit Oratori, facile patet. Hic tamen & Eloquentiæ Studio acerrima Rerum Cogitatio fugienda, quæ à Communione Sensuum avocat & rigidos efficit Oculos, quos tamen aliquis Motus nobilitat, qui promptæ Mentis & ardentis Indicum est. Vitandi tamen trementium Oculorū Flexus, cum Lasciviæ sint Index, ex quo Vitio Oculos vertiginare quis facile discit. Hoc itidem in Vitiis Oculorum Orator fugere potest, ut ne eos comprimat, neque tamen si apertos habet unum aliquem Locum semper adspicere debet, vel etiam unam aliquam Personam, quod ipsum veteres ut Adulatoris Signū notabant, dum docebant Oratorem Oculis suis Neminem devorare debere. Nec ille Vitii Notam effugit, qui in Gyrum Oculum agit & velut Suffragia Amicorum de eleganti sua Oratione colligit, quæ Oculorum Vitia quid sit fugiendum dum docent, facile quoque patet Via quâ incedendum, ne in hos Scopulos impingamus. Hæc omnia Exemplis atque exquisitissimis Dictis Veterum illustrare tentarem, nisi jam omnia fere congesisset laudatus laudandusque sœpius *Cresolius* (r), ex quohæc, quæ mihi se probarunt, exhibeo, cum Liber rarissimus sit.

V.

Pari Libra sit Gravitas Comitasque. Plin. lib. IX. Epist. IX.

§. 1. Gravitatem Conciliat Status Hominis erectus, quem veteres Principe dignum recte dixerunt, ut legere est apud *Cresolium* (s). Hic Truncus moderandus est cum virili Laterum Flexione ut *Cresolius* docet (t), cum fractum Corpus mollium & delicatorum omnium Reprehensione dignum sit. Sed hæc Gravitas & ex aliis Corporis Partibus pendet, quæ si recte se habent, Orator facillimo Negotio Laudem Oratoris gravissimi reportabit. Hic tamen pari Libra Comitas esse debet, ne forte

Gra-

(q) Lib. I. cap. 4. p. 96. (r) Lib. II. cap. IV. p. t. p. 161. seqq. (s) Lib. II. cap. VIII. Sect. I. (t) Lib. II. cap. VIII. Sect. VI.

Gravitate sua Orator austeri, aut superbi & gravis satis Viri Notam incurat. Hæc autem Comitas in Vultu imprimis, deinde in reliquis Moti-
nibus Corporis Sedem habet, de quibus nunc quædam.

VI.

Præcipua Pronunciationis Adjumenta Oculi & Manus.

Plin. lib. II. Ep. XIX.

§. I. De Oculis jam actum; Manus in Gestu supersunt. Illas D. Basilii Frater libro de Hominis Opificio cap. VIII. proprium quoddam Naturæ loquendi Instrumentum vocat, quæ Verba *Cresolius* (*u*) adducit. Hanc veteres studiosissime exercebant, qui Gestus Modum Moderatio-
nemque à Rebus ipsis, Ætate atque Conditione Oratoris desumebant. Dextra autem in Actione regnabat. Et qui Luctum, Lætitiam atque Ira-
cundiam exprimere volebat, Complosione Manuum hoc faciebat. Com-
pectio Indicium erat Animi Dolore langventis & vehementi quodam Ægritudine confecti. Iram, Minas, Lætitiamque Protensa manus indi-
cabat, quæ etiam Affectus movere poterat. Elata Manus Autoritatem
arguebat. In ipsa vero Manu Digi quoque Usum suum habuerunt. Illis numerabant, colligebant, minabantur etiam Antiqui. Ex his quid nostro Tempore in Usu adhuc sit, omnibus patet, qui vel semel Oratorem moratum audiverunt. De hac autem Manuum Actione, qui plura legere vult,
adeat *Cresolium* (*x*). Hæc paucissima de Actione Brevitatis Causa hic tradere volui, cum eandem vel ipsa Natura Magistra optima sine ullo Doctore doceat. Etenim omnino cum *Petro Francio* in hac Parte sentio, qui Homines per se animadvertere posse Actionis Errata, modo Men-
tem intenderent & Aures Oculosque consulerent, scribit (*y*). Quod ipsum & alterius cuiusdam & suo probat Exemplo. Imprimis autem in hac Oratoris Actione Ingenia sunt attendenda, quæ vel sedatam vel fortē etiam Actionem amant. Inde tanta Judiciorum de Actione unius sæpe ejusdemque Oratoris, Diversitas. Sed filum hic abrumpo, cum hæc Pars Oratoria Voce viva exprimi debeat, nec commode adeo Chartis repræ-
sentari possit, illa saltem adhuc considerabo Monita, quæ ad omnes fere Eloquentiæ Partes, pertinent.

I.

*Non minus non servat modum, qui infra Rem, quam qui supra, qui
astrictius, quam qui effusius dicit. Plin. lib. I. Ep. XX.*

C 3

§. I.

(*u*) Lib. II. cap. IX. Sect. I. (*x*) Lib. II. cap. IX. & X. tota. (*y*) In Præfatione Spe-
ciminis sui Eloqu. Exter.

§. 1. In hac Epistola quale Tacitus dicendi Genus approbet, quærit: Sibi medium inter copiosum illud & plane concisum placere dicit, quam Sententiam Verbis adductis exprimit. Et *Ciceronis* quoq; hæc Sententia est, dum scribit (a): in omnibus videndum quatenus: etsi enim cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum, nam interdum non minus oratorium est tacere quam dicere. Hanc Sententiam *Plinianam* (b) vide in Eruditissima Dissertatione (c) *B. Morhofi*, quam de Eloquentiâ in Tacendo scripsit, quæ Dissertation huc omnino pertinet.

§. 2. Verum ad hanc Plinii Mentem accedere omnes non possunt, licet Rationes gravissimæ adsint, imprimis cum nihil invitâ, quod ajunt, Minervâ sit faciendum. Quidam enim Naturâ Duce Prolixitatem in omnibus amant, hanc sequuntur, & rectissime etiam sibi consulunt.

II.

Imitationem Plinius exemplo suo Commendat, lib. I. Ep. II Stultissimum est, ad imitandum non optima quæg; proponere. Plin. l. I. Ep. V.

§. 1. Hæc ipsa Ars, quæ Artificium Oratorum veterum exprimere docet, utilissima, est velut Anima omnis Eloquentiæ. Malo Rem hanc Viri summi, *Dn. Morhofi*, verbis, quam meis exprimere. Omne Punctum, sic ille (d), in Exercitatione omni Rhetorica fert Imitatio. Quicquid sapimus, quicquid discimus, quicquid agimus, id omne ab Imitatione est, & excellens sibi Archetypum proponit. Et de maximo hoc Eloquentiæ Adjumento non pauci jam egerunt. Laudatus modo *Morhofius Sturmii* Præcepta de Imitatione laudat, in quibus tamen cum *Rogero Achano* Exempla desiderat (e). Verum instar omnium esse forte poterit Celeberrimi *Dn. Christ. Weisii* libellus, quem nuper admodum de Imitatione edit (f), qui Eloquentiæ Studiosis non parum prodesse poterit, cum Monita suppeditet quomodo vim *Ciceronis*, quem *Plinius* imitatus est, ipsiusq; *Plinii* assequi possimus, quæ Res omnino ardua paucis Contingit, quos æquus amavit, *Plinius* verba sunt.

§. 3. Cum vero Imitatio Oratorem demum faciat, quærenti; quid sit Imitandum, *Plinius* optime respondet: Optimum. Quis autem Autor optimus sit, indicare nullus potest. Enim vero, velle omnibus unum aliquem commendare, perinde esset, ac si Sutor omnibus Hominibus ad unam eandemq; Mensuram Calceos conficeret Adsunt multi satis

Au-

(a) De claris Oratoribus. (b) Plin. lib. VII. Ep. VI. (c) Supra citata. (d) Polyhist. lib. II. c. XIII. p. 469. (e) C. I. p. 470. 472. (f) German. Lipsiae 1698. in 8tav.

Autores, qui Laudem boni merentur, & quos exprimere qui potest, felix omnino est. Ex his itaque aliquis est eligendus, ad cuius scribendi Genius, Ingeniumque, quam proxime accedit ille, qui Consilium hac in Re desiderat: Non tamen huic uni, cum Neglectu aliorum Autorum, ex quibus optima quæque sunt eruenda, inhærendum est. Conferri hic merentur quæ *Fabius* (g) habet. Cum tamen vetera Exempla, præcipuam, non omnem dicendi Normam Seculo nostro præbeant, quod ipsum accuratissimum *Dn. Martini Hankii* est Judicium (h), recentiora quoque adhibenda sunt Exempla. Et hæc conferenda sunt cum Scriptis Autoris antiqui, quem aliquis sequitur, illa si recentior Autor exprimit, diligenter est Conferendus cum Archetypo. Pro hac Diversitate Ingeniorum, huic *Plinius* contemnendus, laudandus atque imitandus alteri videtur, in qua Diversitate Styli quoque Diversitas sita est, ex quâ ipsa Ingenia dijudicare felicissime Eruditi in hac Arte possunt, qua de re Vide *Senecam* (i) & *Endonis Neuhusii* *Theatrum Ingenii humani*, libellum utilissimum, multaq; Eruditione refertum (k).

III.

Imitandi sunt Autores, quantum aut Ingeniorum Diversitas, minimi aut maximi, aut Causæ Dissimilitudo patitur. Pl. I. VII. Ep. XXX.

§. 1. Ex hac Ingeniorum Diversitate Judicium de Autoribus Dissimillimum fluere, modo diximus, quæ Rhetoribus curiose observanda est, cum minimum Ingenium Scripta maximi effingere non possit. Interdum etiam ipsa Rerum, quæ tractantur, Dissimilitudo, Similitudinem Autoris, quam quærimus, Dissimilem facit; sed hoc nihil obstante, quantum per Ingenium ipsamque Materiam licet, Similitudo Autoris effingenda est.

§. 2. Imitatio autem, quomodo fieri debeat, jam suo Tempore *Fabius* (l) ostendit, dum hunc in modum scribit: Imitatio non sit tantum in Verbis. Illuc intendenda Mens, quantum fuerit illis Viris decoris in Rebus atque Personis, quod Consilium, quæ Dispositio, quam omnia, etiam quæ Delectationi videantur data, ad Victoriam Spectent: quid agatur Procœmio, quæ Ratio & quam varia narrandi, quæ vis probandi ac refellendi, quanta in Affectibus omnis Generis movendis Scientia.

(g) Lib. II. Inst. Orat. c. II. & lib. X. cap. I. II. (h) In Dedicatione Orationum suarum. (i) Epist. CXIV. (k) Lib. I. cap. X. p. 210. Edit. Amstel. An. 1664. 12. (l) Lib. X. Inst. Orat. c. II.

AK IIc 916

entia. Verba hæc Prudentissimi Rhetoris veram Imitationem omnino docent, quæ duplex esse potest ex Mente Joh. Schefferi, qui in Gymnasio Styli (m) ita loquitur: Est Imitatio non unius ejusdem generis, sed una *Mascula*, altera *Puerilis*. Hæc, cum Verbis prope singulis, Phrasibusque insistimus anxiè ac morosè: Illa cum Ingenium, Spiritum, Mores alterius induimus cum Judicio ac Libertate. Et hæc est veluti summa Libelli quem laudavi, *Dn. Christ. Weisii*, de Imitatione.

IV.

Suprema illa Oratorum lex: Parum grandis & Ornatus Orator est, qui nihil peccat, nisi quod nihil peccat. Plin. lib. IX. Ep. XXVI.

§. 1. Hoc ipsum Monitum, qui saltem secum perpendit, verissimum esse Concedet facile. Lubet hic Celeberrimi Morhofi Verba adjicere, quæ Lucem Plinio affundere poterunt. Illa in Laudata sæpius Dissertatione de Eloquentiâ in tacendo (n) sic fluunt: Præstans Orator ita se Præceptis alligat, ut Occasione ferente se illis superiorem ostendat, ad Usum potius Rerum respiciens, quam in minutis Rebus hærens, ac sapienti potius Negligentiâ, quam obscurâ Diligentiâ laudandus. Et paucis interjectis, ita pergit: anxiâ & morosâ Rhetorices Observatione nullus perfectus Orator evadet. Sic in Oratoriâ se exerceat Orator, ut Artificis Prudentiam supra Artem ipsam positam habeat, quæ nonnunquam celata & negligita plus Artis habet & plus in persuadendo efficit, quam omni Apparatu, Rhetorica. Et ita se Res certe habet. Si Orator aliquis, ubi maxima Rerum Momenta versantur, anxius de Verbis esse vellet, non parum Majestati rerum detraheret, ita ut omnino verum sit, quod ex Cicerone *Dn. Morhofius adducit*, quandam Negligentiam esse Diligentiam.

§. 2. Possem hæc per singulas Eloquentiæ Partes ostendere, verum cum hoc Rethores nostri Temporis clare satis proponant, dum Mancipia Consiliorum suorum Auditores suos esse nolunt, hoc ipso opere superfedio, atque hic cum Deo, pedem figo,

cui Soli sit Laus Honor & Gloria.

(m) p. 18. Citante Dn. Chr. Weisio de Imitatione p. 33. (n) s. V.

Erat. Sect. II. §. 5. sub fin. pro Thessalicorum lege Thessalicorum.



107

Verwaltungsamt

ULB Halle
003 359 581

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-3789-p0028-6

DFG

